

05

A

587





1. N. D. S. H. R.  
DISSERTATIONEM HISTORICAM,  
DE  
**ANTIQVIS RI-**  
**TIBUS PUBLICE**  
**POENITENTIUM,**  
PER DIVINAM ADSISTENTIAM,  
SUB PRÆSIDIO  
**M. ABRAHAMI HENRICI**  
**DEUTSCHMANNI,**  
FACULT. PHILOS. ADJUNCTI,  
RESPONDENS,  
**JOHANN. GOTTLIEB PFENNIGK,**  
VITEMBERG. SAXO,  
SS. THEOL. ET PHILOS. CULTOR,  
PUBLICÆ CENSURÆ SISTET,  
*D. VI. MAJI, ANN. M. DC. XCIII.*  
IN AUDITOR. MAJOR.  
DESTINATIS HORIS MATUTIN.

---

VITEMBERGÆ,  
Typis JOHANN. HAKII.

INCLYTÆ ACADEMIÆ VITEM-  
BERGENSIS

MAGNIFICO DO-  
MINO RECTORI,  
SPECTABILIBUS DOMI-  
NIS QUATUOR FACUL-  
TUM DECANIS,  
AC SENIORIBUS VENERANDIS,  
NEC NON CÆTERIS DOMINIS PROFES-  
SORIBUS LONGE CELEBERRIMIS,



05 A 587

VIRIS  
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, SUMME-  
REVERENDIS, CONSULTISSIMIS,  
EXPERIENTISSIMIS, EX-  
CELLENTISSIMISq̄,

Dominis Patronis ac Promotoribus suis Summâ Ob-  
servantiâ nunquam non Suspiciendis,

*Primitias hæc Academicas,*

*In Grati Animi Testificationem*

*offert ac consecrat*

*Respondens,*

AD PER-EXIMIIUM ET PRÆSTANTISSIMUM  
DN. JOH. GOTTLIEB PFENNIGK,  
DE RITIBUS PUBLICE POENI-  
TENTIUM  
DISPUTANTEM.

**T**Ota Christianorum Vita, PEREXIMIE DN. PFENNIGK, AMICE DILECTE, nihil nisi *perpetua Pœnitentia*, si vere sit *Christiana*. Nam respectu *Nature* nostræ, quæ corrupta prorsus, peccatores sumus, & manemus, quatenus ab *Adamo* pendemus; sed respectu *Gratie Divinae*, quæ peccatorum medicina, pœnitentes efficimur, & de peccatis commissis dolemus, quatenus a *Christo*, vel *Adamo Secundo*, pendemus, & fidem in Ipsum possidemus. Pœnitentia verò, juxta *Scripturam*, variis Ritibus, atque Ceremoniis a pœnitentibus Christianis instituta fuit. Longe plures Ritus autem in *Rerum Ecclesiasticarum Historiis* inveniuntur. Quare tuo satis officio facis, dum non modò Ritus Pœnitentiales, ex *Scriptura* notos, sed etiam ex *Historiis Ecclesiæ* notatu dignissimos Ritus, in *praxi pœnitentiali* monstras. Facis in eo laude dignum officium, tam *fidelis Christiani*, quàm *diligentis Academici Studiosi*. Nam *Christianus* continuus Pœnitentia suis in peccatis amator, & admirator, ad aliorum *Exempla*, veram Pœnitentiam agere cupit, & antiquos *Christiane Pœnitentia Sectatores* imitari gestat, ut cum illis sit, & maneat in *Domino*: Sed *Studiosus Academicus*, verè talis, diligenter tam *Vetera*, quàm *Recentiora*, confert, ut ex eorum accurata *collatione* suum ingenium *Veritati* conformet, & *judicium* quoque suum corroboret. Videbit hoc *Dominus*, & *paternam Tui, Tuorumque Studiorum* curamaget, ut ad *perfectionem solidam* pervenire, tibi que *notitiam accuratam & Veterum, & Recentiorum* invenire, totam quoque *Vitam, ad usum publicum, eruditione multa* convestire valeas, quod a *Domino Tibi Precibus piis* exoptat

Witteb. d. XXIX. April.

Anno M.DC. XCIII.

JOHANNES Deutschmann / D.  
p.t. Acad. Rector.

Anna-

**A**nnales VETERUM novisse, perardua res est:  
Sed magnum Studium Fama Decusque manent!

*Honori Disputantium dare voluit*

**C. S. SCHURZFLEISCHUS,**

*h.t. Ord. Phil. Decanus.*

**N**on est Virtutis partas abscondere dotes;  
Ingenii bonitas se probat usque bonis.

**Q**uid Tibi sit mentis, PFENNINGI, constat abunde:  
Sic reget ipsa Tuam Dia Pronœa ratim!

*Id Honoris causâ scribeb.*

**PRÆSES.**

**Q**ui cavet, & Claro certat præeunte Magistro,  
Vindicet ut solidum Res sibi Sacra Decus,

**N**on indoctus erit; TU pergas tradere RITUS,  
Et male-consutas Arte resolve strophas!

*Ita Nobilissimo DN. Respondenti*

*ob Eruditionis Specimen cum*

*applaudantibus*

*applaudere voluit*

*L. M. Q.*

**M. AUGUSTUS WOLFIUS,**

*Ampliff. Fac. Phil. Adjunctus.*

**N**on TE, PFENNINGI, stimulat vesana cupido  
Auri, sed Virtus, sed Labor & Pietas,

**U**t Cathedram ascendas. Tibi comprecor ausus,  
Adspirent factis prospera cuncta Tuis!

*Volante manu Favore suo estimatissimo adjiciebat*

**M. GEORGIUS HANER,**

*Schæsb. Transylvanus.*

**R**ITUS dum Veteres gnarus perquirere tentas,  
Ingenii monstras Munera magna Tui.

**N**on Tibi se duram præbet Natura novercam,  
Hinc data non deses perdis, at Arte polis.

**E**n! Princeps Specimen clariis hoc edis in Hortis,

**Q**uò Tibi DOCTORUM conciliatur Amor.

**G**ratia Supremi Jovæ Tua Cœpta secundet,

**Q**uo tandem Ecclesiæ Commoda multa ferant!

*Hoc Diligentia atque Eruditionis testimonio Clarissimum DN.*


*Respondentem prosequi debuit ejus Consubernalis,*

**JOH. CHRISTOPH. Krumppein/**

*SS. Theol. Stud.*



J. N. D. L. N. P.



*Ieronymus* Verba notatu digna breviter ac nerveose *Apolog. pro Libris suis contra Iovinianum* consignavit: *Nihil DEO clausum est, & tenebra quoque apud DEUM lucent. Probet se unusquisque, & sic ad CORPUS CHRISTI accedat.* Quibus verã indicavit ἐξομολόγησιν, secundum *Tertullianum* ita descriptam, quã delictum DOMINO nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentiã DEUS mitigatur; &c. *Necessariã esse.* Quam ob causam HISTORICI *Exomologesios seu Pœnitentiã Publicã RITUS* annotare solent, *Praxinque Veteris Ecclesiã* monstrare haud intermittunt, quã benè, malève singula *Prisci* constituerint, planiùs & plenius eosdẽ ostendentes. Talia discernere *Johannes Morinus* voluit, qui *Lectorem Commentarii Historici, de Disciplina, in Administratione Sacramenti Pœnitentiã*, (more Romanensium Titulum concipiens,) *tredecim Primis Seculis in Ecclesia Occidentali & Orientali hucusque observatã*, hõc modõ allocutus: *Quã antiqua Disciplina navat operam, sive eam Pœnitentiã spectet, sive alia, duplicem scopum sibi proponere potest. Vel simpliciter intendit RITUS, vel id facit, ut Theoriam ad Praxin revocet, usumque antiquum, recentiore correctõ, restituat.* Libet igitur RITUS PUBLICE POENITENTIUM pro virili pertractare, ex HISTORIA SACRA paucis ea deducere, quæ ad substratam *Rei* hujus materiam pertinent, consuetamque rationem proponendi adhibere, ne a *Scopo HISTORICORUM* aberrare videamur. DEUS nobiscum laboret!

A

RITUS

**R**ITUS multos publicè Pœnitentium receptos, ordinatos-  
 que fuisse, ex Gregorio Thaumaturgo, & sequentis Ævi Pa-  
 tribus, confirmatum dare aliis relinquimus, inter quos  
*Tertullianus, Cyprianus*, recensentur, qui tempus omne in  
 demonstratione *Exomologesios* consummarunt. Inter veros Auto-  
 res Recentiores *Cæsar Baronius, Centuriatores Magdeburgici, Gabriel*  
*Albaspineus*, aliique numerandi sunt, quibus *Johannes Morinus*  
 præferendus erit. Hi omnes Existentiã veram RITUUM publice  
 Pœnitentium comprobarunt, & *Novatianis* contradixerunt, Supe-  
 rioribus Seculis circa CCXX. Ann. statuentibus, veniam Pœniten-  
 tibus non rarò denegandam esse. *Cyprianus Lib. I. Epist. I. ad Cornelium*  
*pag. 2. Novatianum Interfectorem Pœnitentiæ nuncupavit. Ut nunc*  
*alia Testimonia Scriptorum Ecclesiasticorum non adducamus.*  
*Ideo Ambrosius Lib. I. de Pœnitent. Cap. II. rectè asserit: Nullos ma-*  
*jorem injuriam DEO facere, quàm Novatianos, qui Mandata Eius re-*  
*scindere, commissum munus refundere volunt; &c. Vid. Euseb. Lib. VI. H. E.*

## II.

RITIBUS iisdem Fideles post nascentis Ecclesiæ Christia-  
 næ initia genuina ratione usi fuerunt, qua in re testem *Irenæum*  
*Lib. I. adversus Hereses Cap. IX. agnoscimus, eumque dissuadentem*  
*habemus, ut præcipitem & subitanæm Lapsorum receptionem,*  
*citra publicam ἐξομολόγησιν admitti non concedamus, cui sæpe*  
*Imperatores Romani sese submittere non erubuerunt. Testi-*  
*moniorum unicum hîc allegabimus, Theodoretî Lib. IV. Hist. Eccle-*  
*siast. Cap. XIX. Ut ergo ad modum considerandi RITUS præ-*  
*sentes accedamus, varii, quâ Oeconomiam certam, applicari*  
*secundum HISTORICOS possunt atque debent, qui & Usus,*  
*& Abusum respiciunt. Augustinus Lib. LV. Homiliar. Homil. XLIX.*  
*accuratè inquit: Agite Pœnitentiã, qualis agitur in Ecclesia, ut oret*  
*pro nobis Ecclesia. Legatur Dallyus Lib. III. de Sacram. Latin. Con-*  
*seq. Cap. VI. qui prolixius hac de re discursum instituit.*

## III.

Inter Proprios Pœnitentium RITUS, quos Ecclesiastica Di-  
 sciplina solos moderari potest, passim Confessio Peccatorum cele-  
 bratur, qualis a *Tertulliano* in *Lib. de Pœnitentiã* sic manifestatur:  
 Tantum



Tantum revelat Confessio delictorum, quantum Dissimulatio exaggerat. Confessio igitur Satisfactionis Consilium est, Dissimulatio Contumaciae; &c. Hanc, Priscis Seculis a Patribus urgeri solitam, ineptissime, imò ridiculè, nonnulli cum *pœnitentiâ Pontificiorum* methodo confundere ausi fuerunt. Verùm citatus Vir porro addit: *Melius est palam absolvi, quàm damnatum diu latere.* Modum Veterum genuinum, a modo Romanensium Confessionem exigendi formaliter distinctum, Exempla Pœnitentium in Primitiva Ecclesia satis edocuerunt, quemadmodum Eusebius Hist. Ecclesiast. Libr. VI. Cap. XXVII. de Cesare Philippo scribit: *Non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesia preerat, permissum esse intrare, quàm se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumque, Pœnitentiam agentibus prestitutum, occupabant, se sua sponte collocavisset; &c.* Mulierculæ, a Marco Valentiniano, Hæretico & Mago, seductæ conversæ, sua crimina coram Ecclesia verè confessæ sunt. Irenæus Lib. I. Cap. IX. idem approbat, de iis hoc referens: *Quòd Conversæ ad Ecclesiam DEI confessæ sint,*

#### IV.

RITUM eundem ut plenius explicemus, notamus duplicem Confessionem veteribus temporibus extitisse, alteram, quâ Pœnitentes privatim sua peccata confessi sunt; alteram, quâ, si Pœnitentiarius Presbyter peccatum gravius esse persvaserit, publicè eidem Confessionem suam ediderunt. Vide Sozomenum Lib. VII. Histor. Eccles. Cap. XVI. qui Pœnitentiarii Presbyteri prolixis verbis meminit. Qualis in Constantinopolitana Ecclesia dicitur a Nectario abrogatus, de cuius abrogatione Socrates Libr. V. Hist. Ecclesiast. Cap. XIX. verba facit. Hinc Seculò III in Ecclesia Græca moris fuisse legitur, delicta grandia, nec tamen notoria, Presbyteris in occulto & aperire, & iudiciò istorum vel *Exomologesin* publicè facere, vel in *privata Confessione* acquiescere. *Privata Confessio* apud Orientales primò in usu fuit, sine quâ tamen lapsis permissum in Oriente *Evcharistiam* lubenter accipere. Eapropter testatur & queritur Sozomenus, *Vitam promiscuam & dissolutam deinceps enatam esse.* Mediò Seculò V in Occidentali Ecclesia eadem recepta fuit, Autore Leone Magno, Pontifice, Epist. LXXIIX. Apud Latinos quoque publica Pœnitentia universim exspiravit, inde ad nos Confessio

privatis manare debuit. *Leo Allatus de Ecclesia Occidentalis & Orientalis perpetua Consensione Libr. III. Cap. IX. Num. I. & VI. inquit: Nunquam nisi Confessi & de Consensu Confessarii verè communicant. Confessiones Fidelium illi tantùm audiant, quibus ab Episcopo facultas facta est. Non enim genu flectentes, sed sedentes, cum reverentia & Capite aperto peccata perpetrata in genere confitentur.*

V.

Quod ipsam Confessionem, in publica Pœnitentia requisitam, attinget, quæ cum execratione peccati admissi, fucaque ejusdem, conjuncta esse debebat, *Clemens Alexandrinus Lib. II. Stromat. ita loquitur: Simulacrum Pœnitentia est, non pœnitentia, sæpè in iis petere veniam, in quibus sæpe peccavimus. Lactantius Divinar. Institut. Libr. VI. Cap. XIII. suam Sententiam hõc modò indicavit: DEUS purgari homines a peccatis maximè cupit, ideoque agere Pœnitentiam jubet. Agere autem Pœnitentiam nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare, se ulterius non peccaturum. Rigorem prisca Ecclesia fuisse in confesso positum, ut in idem crimen prolapsus sæpius ad iterandam, publicam Pœnitentiam difficulter admissus fuerit. Iste rigor mitigatus, imò sublatus a Concilio Nicano fuit, cujus XII. Canon ita sonat: De his, qui recedunt ex Corpore, necessariò Vita sua Viaticò non defrauderur. De quo Innocentius I. in titò Seculi V Pontifex Epist. decretal. Capite VII. scribit: Si quis Pœnitentiam in Aegritudinem inciderit, atque usque ad desperationem, ceu ultimum Vita terminum, devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de Seculo absque Communione decedat. RITUS publica Pœnitentia aliàs juxta Græcos Τυμωρία, Castigationes, Pœna, seu Μολὴ Ecclesiastica nominabantur. Consul. Sozomenus Libr. VII. Cap. XVI. Latini Patres Satisfactiones vocarunt, uti Augustinus in Enchiridio Cap. LXV. idem testatus est. Has interpretata est Antiquitas per Deprecationes, Supplicationes, Lamentationes, Jejunia; &c. In quo nobis Prophani Autores apud Martialem assensum præbent. Marcus Antonius de Dominis Libr. V. de Republ. Ecclesiast. Cap. VII. eleganter asserit: Satisfactionem in Patribus inveniri sapissime commendatam, & Scripturis confirmatam. Verùm & iste simul ostendit, quàm longe Satisfactio Pontificia distet a Satisfactione Primitiva Ecclesie, quæ apud Veteres ante Communionem & Absolutionem jure peragebatur. Nemo*

fuit

fuit restitutus, nemo absolutus, nisi Satisfactionem suam absolvisset peccataque sua confessus fuisset.

VI.

Ipsa Publica Pœnitentia seu Confessio Peccatorum coram tota Ecclesia vel constituitur *Voluntaria*, vel *Coacta*. De illa Cyprianus *Serm. II. de lapsis* dicit: *Multos voluntariè facinus Sacerdotibus primam indicare, & postea publicæ Confessioni ac Pœnitentiæ se subicere.* Hinc istâ Rei enormium facinorum seiplos publice pœnitentes apud Præsides Ecclesiæ sponte deferebant, delicta sua manifestabant, externis Signis *seriam Contritionem* testabantur, *vite emendationem* simul pollicebantur. Contrâ verò aliud iudicium de *coacta publicâ Pœnitentiâ* ferendum est, quâ Rei publici Criminis id confiteri erubescerent, pœnasque suscipere detrectantes, ab Ecclesia tota, vel Episcopo, ad *publicam Exomologesin* adigebantur & compellebantur. *Confer. Hist. Eccles. Eusebii Libr. VI. Cap. XXVII.*

VII.

Confessionem excipiebat RITUS, Humilis deprecatio, & Veniæ petitio, quæ jure quodam conjunguntur, & pro Uno RITU publico Pœnitentium haberi solent. Cyprianus *Lib. III. Ep. XI. ad Cornelium, Episcopum Roman. de Maximo, Urbano, & Sidonio, Novatianos* re hæcenus imitatis, ad Ecclesiam Orthodoxam redeuntibus, singulari modò retulit: *Eisdem in Presbyterium venisse, plerosque Fratres, qui se iis adjunxerunt, summis precibus desiderasse, ut ea, qualia fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullaque mentio eorum haberetur, perinde atque si nihil esset vel commissum, vel dictum invicem.* Quibus verbis deprecatoria horum Pœnitentium adjecit, qualia sunt: *Nos, inquit, Cornelium, Episcopum sanctissimæ Ecclesiæ Catholicæ, a DEO Omnipotente & CHRISTO DOMINO Nostro erectum scimus. Nos errorem nostrum verè confitemur; &c. Non autem soli Lapsi veniam delictorum precati sunt, sed Martyribus atque Confessoribus Intercessio assignata in antiqua Ecclesia fuit, quorum Titulo isti meritò dignabantur, quales morte ipsa Fidem suam obfirmare conabantur, & propter CHRISTI Nomen parati ad mortem fuerant, constantissimis animis tormenta perpessi.*

IX.

*Absolutio pariter in publico Ecclesiæ Cœtu concessa est, prout*

A3

Oratio

Oratio præmittebatur, atque manus imponebantur, postea *Communio* sequebatur. Hinc populi *gratiarum actio* & lætitiæ publicæ documenta ortum suum traxerunt. Hoc ipsum plerumque fiebat Die Dominicæ Cœnæ ante Paschalis, sicut *Cyprianus in Ser-mone de Unctione Chrismatis de isto RITU* prolixè verba fecit. Idem RITUS *Pœnitentes*, seriò profusisque lachrymis *Pœnitentiam* agentes, concernebat, ut ostendit *Eusebius Libr. VI. Cap. IIX. Histor. Ecclesiast. Christiani Pœnitentiam secundum modum cujuslibet peccati agebant*, ut ait *Augustinus, sicque Absolutionem omnium peccatorum impetrabant*. Ex quo simul Proportio quædam inter peccatum & dolorem de peccato colligitur, cum gravia peccata granditer deflenda esse, nec omnia pro paribus habenda, judicari debeat. Indices *Pœnitentia* verò Lachrymas vocari *Nazianzenus* affirmat, quibus Misericordiam consequi *Veteres Pœnitentes* Operam dederunt. Tales, ex vera in DEUM fiducia promanantes, juxta *Veterum* assertum, *Absolutionem peccatorum* satis notam fecerunt. *Cyrillus* fletu *Pœnitentiam* seriam commendari non frustra dixit, eumque non simulatum, quem *Ambrosius* perfunctorium appellavit, sed amarum & verum, & cum fidei peccatore conjunctum. Sic *Speculum Pœnitentia* delignatur, in qua lachrymæ reluceant, veramque resipiscendi rationem apertis signis ostendant.

IX.

Inter eosdem RITUS a *Veteribus* *Censura* vel *Excommunicatio Major*, aut *Minor* collocabatur, prior ad *Peccatorem inemendabilem*, posterior ad *emendabilem* haud immeritò dirigebatur; illa ad *Diabolum*, hæc ad DEUM referebatur, in quantum ista irresistibilitatem peccatoris manifestabat, sed hæc peccata potius ad *Pœnitentiam* & *Satisfactiones Ecclesiasticas* ligabat. Id quod Praxis Ecclesiæ Veteris & Monumenta Patrum, Aliorumque HISTORICORUM firmatum sufficienter dederunt. Consulatur *Hildebrandus in Dissertat. pecul. Zieglerus in Jure Canon. Morinus de RITU sacro Pœnitentia. Poly-Histor Noster SCHURTZFLEISCHUS, VIR Incomparabilis*, in suo Collegio *Histor. Eccles. MSC.* mentionem aliqujus Exempli, quod in *Vitemberga* nostra contigit, injecit: *Ante aliquot Annos Mulierem subditam Vitembergensi Magistratui irreconciliabilem excommunicatione majori ad remittendum coactam esse.*

Cui

Cui assensum præbere nullus recusabit, præcipue, cum ad  
Experientiam ipsam idem provocet, quæ magnam sibi Auto-  
ritatem in Historicis tribuit.

X.

Qua in re verò prudenter agendum est, propterea quòd  
in genere *Animadversionum Ecclesiasticarum Prudentia & Pietas*  
*legem* haud improbandam ponant, ac *Synodi Eliberitane nimia*  
*facilitas* evitaanda sit, omnesque *Conscientiæ recessus & latebræ*  
ante *Pœnitentiam* excuti soleant. *Hæc & alia* magni sunt in-  
commodi, si minùs rectè observentur, *Legisque ratio* non ha-  
beat, *mos Veterum* non retineatur, sicque cura *Ecclesiastica-*  
*rum Rerum* secundum *Antiquitatem* legitimè non suscipiatur.

XI.

*Jus excommunicandi atque Potestas* antiquis temporibus  
Episcopis, non exclusis Presbyteris, attribuebatur. De *Fabia-*  
*no, Episcopo Rom. Eusebius Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. XXXIV.* testa-  
tur, quòd *Philippum Imper. Anathematis fulmine percusserit. Con-*  
*fer. Baronii Epitomator Spondanus ad Ann. CCCCXI. XXII.*  
*CCCLXXXIX. CCCCI. Chrysostronus, munus Presbyteri in se*  
*suscipiens, Antiochenis suis ex ambone hunc in modum est mi-*  
*natus: Ego de cætero vobis, ne sacra hæc vestibula ingrediamini, vé-*  
*tabo. Verùm Gabriel Albaspinus, Aurelian. Episc. nobis contradixit*  
*Observat. Eccles. Veter. Lib. II. Observ. XXXII. Num. VI. Jus Excom-*  
*municationis solis Episcopis relictum esse contendens. Qui tamen*  
*suam sententiam nullis Rationibus firmis munivit. Id er-*  
*go hîc annotare non intermittimus, Canonistas coactos*  
*esse inter Excommunicationem cum Solemnitate, & sine illâ fa-*  
*ctam, distingvere, istam Episcopis tantùm, sed hanc reliquis*  
*Prælati propriam dicimus. Casalius Libr. de Veterum Chri-*  
*stianorum Sacris scribit pag. 129. seq. Sicut Communionis jus situm*  
*erat in rerum omnium humanarum & divinarum participatu & so-*  
*cietate, ita excommunicati non solùm a Sacris arcebantur, sed omnes*  
*eos abhorrebant. Nemo eos Salutatione, nemo Alloquiò, neque Convi-*  
*viò dignos judicabat, ut ne DEO quidem cum eis preces adhibere liceat.*

XII.

*Excommunicatio ceu Censura Ecclesiastica porro constitue-*  
*batur*

batur aut *Pœnitentialis*, aliàs *Medicinalis*, aut *Lethalis*, aliàs *Præcisiva*, ut & *Anathema*. Illa, si peccator ad *Pœnitentiam* ligabatur, ab *Uſu Sacramentorum* ſegregabatur, *Satisfactionibus Canoniciſ* destinabatur, & hæc *Excommunication minor* vocari poterat. Hæc *Hominem*, extreme refractarium & pertinacem absolute, ut membrum putridum, a *Corpore Eccleſiæ* abſtrahebat, ejuſque nomen ex albo *Fidelium* evadere cupiebat. Eadem nomine *majoris Excommunicationis* veniebat, prout *Veteres* voce Græcâ ἀνάθεμα rem expoſitam, devotam, execrabilem, piaculum indigitarunt, qualis in *Conciliis* pro publica *Heræſum* & *Hereticorum* rejectione, execratione atque damnatione adhibita fuit, quò modò adhuc eadem uſurpatur.

### XIII.

Reſpectu *Excommunicatorum Gradus* quidam *Pœnitentiæ Canonice* exiſtebant, quos *Zonaras* ad *Canon. XXI. Concilii Ancyranæ* τὸ πρὸς τὸν εἰσιεὶς, ſeu *locâ Pœnarum*, aliàs *Pœnitentium Stationes* appellavit, & quatuor a *Scriptoribus Eccleſiaſticis* numerabantur: *Primus Gradus* τὸ πρὸς κλαυθίον ſive ὁ τῶν προσκλαίωντων τὸ πρὸς, *fletus propter fores*, vel ad *limina templi*, ſeu *proſtetus*. Stabant προσκλαίωντες vel deſtentes extra *Eccleſiam* ad *limina* & *fores templi*. *Gregorius Thaumaturgus* *Fletus* ſive *luctus* extra portam *Oratorii* mentionem fecit, ubi *Peccatorem ſtantem* oportet *fideles* ingredientem orare, ut pro ſe precentur. *Idem Gabriel Philadelphiæ Metropolita* in *Libell. de Pœnitentiâ Cap. X.* firmum reddit his verbis: *Fletus locus eſt extra portam Oratorii, in quo ſtant ſtentes; &c.* *Sozomenus Lib. VII. Hiſt. Eccleſ.* de hoc *Veterum*, in *occidentali præſertim Romana Eccleſia* obſervato, *More* ita ſentit: *Eſt in Eccleſia Romana* *manifeſtus Pœnitentium locus*, in quo ſtant *moeſti*, ac *veluti lugentes*, &c. *Vid. Antiquit. Bibl. & Eccl. B. D. Qvenſtedii, pag. 952.* *S. Ambroſius Lib. de Pœnitentiâ Cap. XIX.* hanc in rem inquit: *Volo, ut Veniam* reus petat *cum Lachrymis, gemitibus & totius populi fletibus; &c.* *Exemplum* ejuſdem *Gradus* ab *Eusebio* in *Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. V, Cap. XXIX.* adducitur, qui *Natalis* cujuſdam, a *Theodoti Coriari Heræſi* reſipiſcentis, *Pœnitentiâ* deſcripſit hòc modò: *Multis Lachrymis errorem ſuum deſtens ante pedes Zephyrini Episcopi ſe*  
pro-

prosternit, & vestigiis omnium multâ cum lamentatione pro-  
volutus, in lachrymas & miserationes omnem Ecclesiam pro-  
vocavit; &c. Quæ interprete Ruffino jure pro veris venditan-  
tur & nostræ materia accommodantur.

#### XIV.

Alter Gradus seu locus Poenitentia jam denominata  
*ἀξέδαισις* vel *Auditio*. Hinc publice Poenitentes debebant in  
porta Ecclesie seu in porticu stantes Conciones Sacras au-  
dire. Gregorius, Neo-Cesar. Episcop. Gradum hunc ita descripsit:  
*Auditio erat intra portam in loco, quem ἡ ἀξέδαισις vocabant,*  
*ubi stare istum oportebat, qui peccaverat, usque ad Catechu-*  
*menos: & inde egredi.* Blastarius dixit: *Audientes sunt, qui*  
*stant intra portas in loco, qui vocatur Narthex, & Divinas Scri-*  
*pturas & communem doctrinam audiunt, tum demum cum Ca-*  
*techumenis exeunt.* Videatur Concilii Niceni Canon. XIV.  
& Balsamon ad Canonem citat. itemque Canon. XI. ejusdem  
Concilii, ad quem Zonaras talem commentationem addi-  
dit: *Ut triennium quidem inter Audientes agant, jubet Canon,*  
*seu ut extra Ecclesiam stent in Narthex, & sanctas Scripturas fru-*  
*ctuosè audiant.* Hunc RITUM hodiernum abrogatū volunt  
isti, qui a phantastico Spiritu regi desiderant, eundemque inspi-  
ratione sua frustra expectant. O nefarios Homines! tales cer-  
tè sunt ignominia non vulgari afficiendi, qui suam igno-  
rantiam in Historicis rebus satis ac sufficienter unicuique  
manifestare solent. Quibus jure se Gregorius Nyssenus Epist.  
ad Letojum Can. IV. & V. Tom. II. aliique opponere audent.

#### XV.

Tertius Gradus aut locus *ὑπόπτωσις*, *Subjectio*, *Prostra-*  
*ctio*, *Humiliatio* nuncupatur, qualis interior quædam ad-  
missio erat, respectu cujus Poenitentes Precum Ecclesie par-  
ticipes facti stabant, & inter Catechumenos locum habe-  
bant, quibuscum pari velut jure gaudebant, & cum illis  
manebant, & ab illis se quoque segregabant. Bellarmi-  
nus Libr. I. de Poenitentia Cap. XXII. Tom. III. *ὑπόπτωσις* per  
*Contemplationem rerum supernarum exponere voluit, quam*

B

tamen

tamen deductionem vocis nec sensum, nec Grammaticam, nec Exempla commodè admittere judicavit *Job. Casparus Svicerus Sacrar. Observat. Libr. Singul. Cap. 1. pag. 16.* Cui assensum præbuit *Casaubonus Exercitat. pag. 397.* Secundum *Veteres* igitur *Hypoptosis*, teste *Gregoriô Thaumaturgô*, locus erat, ubi stans Peccator intra portam templi cum Catechumenis egrediebatur. Notatu digna sunt *Verba Canon. V. Precibus abdicare.* *Tertullianus* hunc *Gradum Exomologesin Libr. de Poenit. Cap. IX.* nuncupavit, quo ipsô maximopere se *Poenitentia* per *Prostrationem & Supplicationem Poenitentis* in Cœtu publico exeret. *Basilius* ideò *Can. XXII. ὑπόπτωσιν μετάνοιαν* dicere studuit. Nec tamen sententiam *Pseudo-Dionysii Areopagite de Eccles. Hierarch. Cap. V.* rejicimus, ὑπόπτωσιν nihil aliud esse asserentis, quam *γωνυκλισίαν, Genuum flexionem*, unâ cum *incurvatione ipsius Corporis*. Ea namque ratione *Poenitens* sese submittere, atque succumbere τῷ ἐπὶ τῶν μετανοούντων τεταγμένῳ πρεσβυτέρῳ necessum habebat, uti loqui *Sozomeno* placet in *Histor. Eccles. Libr. VII. Cap. XVI.* Plura de hoc *Gradu* non dicemus.

#### XVI.

Ultimus & quartus *Gradus Σύσασις*, vel *Consistentia* ex *Antiquitate* deducitur, qui meritò in causa *Poenarum Canonicarum* simul esse, simul congregari designat. Unde per græcam Vocem *Consortium* inter Fideles indigitatur. *Periphrases* ejusdem *Stationis* dicuntur: *Precum participem esse; sine oblatione communicare populo in precibus.* Vid. *Concil. Nicen. Can. XI. & XII. Concil. Ancyran. Niceno antiquioris Can. IV. V. XVI.* Qui autem ad eandem *Stationem* antiquis temporibus admissi, non statim *jus oblationis* acceperunt, licet *S. Coenæ, precibusque Fidelium*, adsistere ausi. Hoc ipsum *Balsamon ad Can. VI. Concil. Ancyran.*, *Zonaras ad Can. VI. ejusdem Concilii*, *Svicerus loc. allegat. pag. 21.* luculenter monstrarunt. *Scholiasies Græcus in Harmenopolum* inquit: Συνεως ἢ γὰρ τοῖς πιστοῖς συνευχόμενοι, τῶν ἁγιασμάτων μήτω ἀξιομενοι.



μενθ. Id est, *Consistens unâ cum Fidelibus orans, sacrâ verò Coenâ nondum dignus habitus.*

XVII.

Quos *Gradus* recensitos & ex *Antiquitate* demonstra-  
tos *Basiliius M. Seculô IV. in Canonica Epistol. ad Amphilo-  
chium, Iconii Episcopum, Canon. XXII. Tom. II. conjunxit, de For-  
nicatoribus* talia scribens: *Est autem in quatuor Annis præfinita  
fornicatoribus poena: Oportebat eos Anno I a Precibus ex-  
pelli & ipsos destere ad fores Ecclesie: II ad Auditionem admitti:  
III ad Pœnitentiam: IV ad Congregationem cum populo, ab-  
stinentes ab Oblatione; &c. Ut & Canon. LVI. Tom. II. de Ho-  
mucidis idem testatus. Matthæus Blastarius quatuor Pœniten-  
tium ordines, in quos divisi fuerunt, insinuavit: Descentes,  
Audientes, Succumbentes & Consistentes. Nec obest quid  
nostræ Sententiæ, quando Patres, in magno Concilio Oecu-  
menico primò Gradus Pœnitentiales præscribentes, Can. XI. XII.  
nullam προσκλήσεως mentionem fecerunt, sed tres poste-  
riores Gradus tantùm considerarunt. Siquidem alia testimo-  
nia nobis hîc sufficiant, quæ in Antiquitate valorem habere  
nullus inficiabitur.*

XIIX.

Missis *Gradibus*, ne *Locorum Circumstantiam*, in quibus  
Pœnitentes constituti fuerunt, neglexisse videamur, ideò  
notamus, in *Deciana Persecutione, Septima* vulgò, ab aliis  
*oçtava* dicta, Ann. CHRISTI CCLI. vel ut plurimi malunt,  
CCLIII. multos a Religione Christiana defecisse, nonnul-  
los, & acerbitate & lenitudine tormentorum valde mo-  
tos, passim *fidem* abnegasse. Hanc in rem *Epistola Dionysii  
Alexandrini ad Fabium Antioch. apud Eusebium Hist. Eccles.  
Libr. VI. Cap. XL. est legenda, & Cyprianus Libr. de Lapsis  
commentatione optima dignus judicatur. Lapsum inge-  
nue confitentes denuo in Ecclesie Gremium & Commu-  
nionem recepti sunt, qui cum lachrymis ac gemitu sup-  
plices rogarunt. Hinc peractam Canonicam Pœnitentiam  
Receptio Pœnitentium quoque secuta est, quæ aliàs nomine*

B 2

Recon-

Reconciliationis venit. Conferat. D. Joach. Hildebrand. Exercitat. de Episcopis altera Thes. XIX. Is talia dixit: Fiebat Reconciliatione Restitutione Communionis, per quam non intelligendus est solus SS. Eucharistiae usus, qualis permultorum error esse perhibetur, sed omnes etiam reliqua sacrorum partes, v.g. Lectiones Sacrae Psalmodicae, Preces, Conciones; &c. imò etiam Civilis Convictus. Nam ab his omnibus exclusi fuerunt Lapsi; &c. Vetus Ecclesia eos, qui vel in Persecutione fidem CHRISTI amiserunt, & idolis frustra sacrificarunt, aut Hæresin admiserunt, aut in alia gravia & manifesta flagitia lapsi fuerunt, non statim in Gremium suum recipere, nec sacrae communioni destinare, sed pro publicis Criminibus publicam Pœnitentiam ipsis adsignare, certosque gradus accommodare, ac magno cum studio ista observare haud recusavit. Testimonium non vulgare Cyprianus Epist. LI. LII. ad Antonian. dedit.

XIX.

Circumstantia Temporis pro Criminum, Pœnitentia, Signorum, Seculorum, nec non Ecclesiarum discrepantia, considerata venit, sicut supra diversitas Criminum a nobis indicata fuit, cum de Prisca Ecclesia monstratum sit, tempus Pœnitentiae diversimode constitutum fuisse, citata Basilii M. Epistolâ, in qua & Fornicatoribus quatuor Annorum, & Adulteris quindecim Annor. & Homicidis viginti Annorum, Pœnitentia tributa legitur. Nec de Lapsus Crimine aliud iudicium Veteres tulerunt, quemadmodum Cyprianus in Epistol. XXIII. Libr. III. ad Fortunatum, Heymonem, Optatum, Privatianum, Donatulum, & Felicem, scripta, perspicue id manifestavit: Cum placuerit, inquit, Pœnitentiam agentibus infirmitatis periculo subveniri & pacem dari, debent utique in accipienda pace præcedere, quos videmus non animi infirmitate cecidisse, sed in pralio congressos & vulneratos per imbecillitatem carnis Confessionis suae Coronam non potuisse perferre; &c. Quæ Signa externa tempus Pœnitentiae nunc dilatatum, nunc coarctatum est, quæ cura prioribus Seculis Episcopis commissa fuit. Idem ex Ancyranæ Concilii Decretis patet, Canon. V. Penes Episcopos

scopus erit Potestas, modum Conversionis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus addicere; &c. *Seculorum Varietatem* aliquid certi nobis indigitare, ex *Historia Ecclesiastica* perspicuum est. Nam cum iis, qui durante *Persecutione* defecerant, multò rigidius actum, quam cum iis, qui tempore alio lapsi fuerunt. Tunc magis ad periculum *defectionis*, ob tormentorum vim præsentissimum, respiciebatur, & minùs frequens *fidei abnegatio* existerat. Nec opus est, pluribus *variationem temporum* respectu *Ecclesiarum* demonstratum dare, qualem satis ex antiquis *Canonibus* liquere in confesso *Historicorum* positum, quorum testimonia, post *Basilium & Balsamonem*, *Regino Prumiensis* in suis de *Disciplina Ecclesiastica* libris collecta inveniuntur. Nos modò *Patris Latini Augustini* verba in *Enchirid.* Cap. LXV. allegabimus: In *Actione Pœnitentiæ*, ubi tale *Crimen commissum est*, ut is, qui commisit, a *CHRISTI* etiam *Corpore* separetur, non tam consideranda est *mensura temporis*, quam *doloris*. Verùm, quia plerumque *dolor alterius Cordis* occultus est alteri, neque in aliorum *notitia* per *Verba*, vel quacunque alia *Signa*, procedit; rectè constituuntur ab iis, qui *Ecclesiæ* præsent, *Tempora Pœnitentiæ*, ut fiat *Ecclesiæ* satis, in qua ipsa *peccata* remittuntur.

XX.

Ultimò rà ἐπιτίμια, seu quacunque juxta rigorem *Canonum Pœnitentes* agere vel pati debuerant, ea omnia *Satisfactionis* nomine apud *Ecclesiasticos Scriptores* venire solebant. Rectè *Marcus Anton.* de *Domin.* Lib. V. de *Republ. Ecclesiast.* Cap. VII. idem observavit inqviens: *Ego Satisfactionem in Patribus inuenio sapissime commendatam & Scripturis confirmatam. Semper tamen video Satisfactionem fieri pro culpa potissimum, & non pro sola Pœna, ut perperam nostri volunt; & Satisfactionem esse ipsammet externam Ecclesiasticam Pœnitentiæ, ad quam Peccator per Ecclesiam reducitur, dum per Claves ligatur. Error Pontificiorum est, Ecclesiastica Historia contrarian-tium, ea, quæ de Satisfactione in Veterum Libris inveniuntur, obtortò collò, quod dicitur, ad spuriam illam Pœ-*

nitentia Partem obtrudendam trahere. Vid. Concil. Trident.  
Sess. XIV. Can. IIX. Satisfactionem, non papisticò, verùm patri-  
sticò modò sumtam, ad Poenitentiam Externam & Ecclesiasticam  
hic referim⁹, præter quam in foro interno coram solo DEO  
peccatorem Poenitentiam agere & Absolutionem ab eo sine RI-  
TU externo consequi posse, nulli Doctorem priscorum Ecclesie  
inficias iverunt, qualia jure sibi subordinantur. Patres ter-  
minum Satisfactionis hoc in loco ita usurparunt, ut judica-  
rint, eundem per ἑξομολόγησιν poenitentis exprimi posse, quò  
ipsò Pontificios refutarunt, qui eandem, a Confessione & Contri-  
tione diversam, admiserunt. Satisfactionem quoque secun-  
dum Scriptores Ecclesiasticos Humilem Gratia & Misericordie  
Divine implorationem indicare, in proclivi est, quam Patres  
cum Aliis ante Absolutionem propter Culpam & Scandalum po-  
stularunt. Interim huic nullam causam Meriti neque de-  
condigno neque de congruo tribuere fategerunt. Id Pontificiis  
sine ulla ratione de Satisfactionibus affirmarunt, easdemque  
meritorias de congruo vocarunt. Hoc verò meliùs Theologi ha-  
ctenus refutatum dederunt, & simul ad Antiquam Historiam  
respexerunt. Satisfactiones meritò irrationabiles dicimus,  
quas pro iisdem quotidiana Praxis & furiosa flagellantium  
Bacchanalia imprimis, uti in Senatus Consulto Parisiensi Ann.  
M.DC.I. vocabantur, satis venditarunt. Eadem Roberto Nor-  
manno quondam indicta est, ut per Septennium non loquere-  
tur, & Reliquis Canum Semesis vesceretur, quod huic a Nicolao  
Ægidio, Ludovici XII. Secretario, tributum. Poenitentes, quales  
Ecclesiastici Scriptores describunt, post omnes Satisfactiones  
perpetui manebant debitores & assidue, remitte nobis Debita  
nostra, ingemiscebant. Commendatas in prisca Ecclesia Sa-  
tisfactiones nullam Speciem avaritia habuisse affirmatur,  
quippe quæ ad Contritionem Poenitentis tantum & peccatorum  
aliorum terrorem imponebatur. Oportet quoque de Morino  
asserere, eundem frontis nullius Impostorem fuisse, cum in  
Præfatione proluxi de Poenitentia Operis egregie mentitus  
dixerit: Nihil nunc in Poenitentia Sacramento Ecclesiam Catho-  
licam

licam imperare aut usurpare, quam quod ab antiquissimis Patri-  
bus, Virisque Apostolicis, imperatum olim aut usurpatum fuit. In  
firma tandem Christianorum fide sic exoptulante, hoc unicum  
discrimen se insinuasse, Ecclesiam antiquitus longe severiorem,  
fuisse, nunc multò clementiorem esse: antiquitus variorum RI-  
TUUM & CEREMONIARUM observantio-rem, nunc simplici-  
orem: antiquitus non omnibus, nec omni tempore gratiam indul-  
sisse; nemini nunc eam petenti denegare! O Gloriationem istius  
vanam & vera Historia adversam! Speciatim de Habitu & Ve-  
stitu publicè Pœnitentium, antiquo tempore durante, quid ex A-  
gathensi Concilio libet addere, in Jure Canonico D. L. Can. in  
Capite sequentia leguntur: In Capite Quadragesimæ omnes  
Pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt Pœniten-  
tiam, ante fores Ecclesiæ se representent Episcopo Civitatis, Saccò  
induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se ipso Ha-  
bitu & vultu esse contestantes. Similiter de Lachrymis Pœni-  
tentium Ambrosius de Pœnitentia Lib. II. Cap. X. verba fecit: Tu,  
si amarissime fleas, CHRISTUS ad te respiciet, culpa discedet.  
Ufus doloris ablegat luxuriam Criminis, erroris delitias. Ita, dum  
dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quadam de con-  
demnatione culpæ disciplina innocentia. Nil ergo te revocet a Pœ-  
nitentia, hæc tibi communis cum Sanctis est; &c. De Jejunio,  
nec non Eleemosynis eorundem peculiare Homilia in Operibus  
Chrysofomi legendæ sunt, qui talia ex professo declarare  
ausus fuit, simulque ad Antiqua tempora meritò respexit.  
Hæc & alia prolixè pertractare possemus, verùm adhuc  
paucis id annotabimus, sub Victore Secundo Ann. MLV. Pœ-  
nitentiarum Redemptionem eò prætextu introductam fuisse,  
quòd inolescentibus Peccatis Pœnitentiam, in tot Annos pro-  
tractam, homines ferre non potuissent, interdum etiam, illà  
nondum expletà, morerentur. Baronius olim agnovit, Bo-  
na Ecclesiastica ejusmodi Redemptione mirificè crevisse. Plati-  
na in Vita Gregorii IX. de Friederico Imperatore dixit: Friederi-  
cus, Brundisium rediens, pacis admodum cupidus, ultro Ponti-  
ficem rogat, ut in gratiam recipiatur, Imperatorque appelletur,  
ac pro

ac pro Regno Sicilia verus Ecclesie Feudatarius existat. Quod  
quidem non prius impetravit, quam Uncias Auri centum & vi-  
ginti Millia Ecclesie Romanae, ob illata damna, statim persolvisset. O  
Exemplum Admirabile! Idem in Vita Martini IV alterius men-  
tionem facit, quod hic omittemus. Quibus ad tempora cer-  
ta vetera facta est applicatio, qualis non improbanda. Ta-  
lia, de RITIBUS PUBLICE POENITENTIUM ex An-  
tiquitate cognitu necessaria, proponere volumus. Istam  
Historicam Materiam verbis Cypriani finimus, Serm. de lapsis:  
Quam magna deliquimus, tam granditer desleamus, alto vulnere  
diligens & longa Medicina non desit: Pœnitentia crimine mi-  
nor non sit. Putasne tu DOMINUM posse placari, quæ verbis  
perfidis abnuisti, cui Patrimonium præponere maluisti, cuius tem-  
plum sacrilega contagione violasti? Onare oportet impensius, &  
rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac stetibus ducere,  
tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos ci-  
neri solo adherere, in cilicio volutari & sordibus. Post indu-  
mentum CHRISTI perditum nullum jam velle vestitum: Post  
Diaboli cibum malle Jejunium: Justis Operibus incumbere, qui-  
bus peccata purgantur: Eleemosynis frequenter insistere, quibus  
& morte animæ liberantur: quod adversarius auferebat, CHRI-  
STUS accipiebat: nec teneri, nec amari Patrimonium  
debet, quò quis & deceptus & victus est. Dici-  
mus verò pro Viribus concessis

DEO  
LAUDEM, HONO-  
REM & GLORIAM  
IN SEMPITER-  
NUM!

05 A 587

ULB Halle 3  
003 762 246




1017

241









I. N. D. S. H. R.  
DISSERTATIONEM HISTORICAM,  
DE  
**ANTIQVIS RI-  
TIBUS PUBLICE  
POENITENTIUM,**  
PER DIVINAM ADSISTENTIAM,  
SUB PRÆSIDIO  
**M. ABRAHAMI HENRICI  
DEUTSCHMANNI,**  
FACULT. PHILOS. ADJUNCTI,  
RESPONDENS,  
**JOHANN. GOTTLIEB PFENNIGK,**  
VITEMBERG. SAXO,  
SS. THEOL. ET PHILOS. CULTOR,  
PUBLICÆ CENSURÆ SISTET,  
*D. VI. MAJI, ANN. M. DC. XCIII.*  
IN AUDITOR. MAJOR.  
DESTINATIS HORIS MATUTIN.

VITEMBERGÆ,  
Typis JOHANN. HAKIL.